

**Dissertatio inauguralis medico-practica de cardialgia ... / submittit
Joannes Paptista Pardini.**

Contributors

Pardini, Johann Baptist.
Universität Wien.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Viennae : In Typ. Kroyssiana, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hh4e998c>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO

INAUGURALIS

MEDICO - PRACTICA

DE

CARDIALGIA

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE
MEDICA

IN

ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PRO


DOCTORATUS LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, ET
PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDISPUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOANNES PAPTISTA PARDINI

AUSTRIACUS VINDOBONENSIS


DISPUTABITUR

IN UNIVERSITATIS PALATIO

*DIE MENSIS AUGUSTI, ANNO
MDCCLXXXIII.*

VIENNÆ

IN TYPOGRAPHIA KROYSSIANA.





CARDIALGIA

§ I.

Cardialgia, quæ Cardiognus,
Cardiacus morbus, Cardiaca
passio Hippocratis, Cardiaca Celsi,
Cardiacus affectus Alexandri Trallia-
ni *Lib. VIII. c. 9.* vocatur, deriva-
tur a græca voce καρδια cor, & αλγια,
dolor, ac si dolorem cordis dice-
res, quod quidem falsum est; no-
tum enim habemus, καρδιας nomi-
ne jam veteribus venisse superius ven-

orificium, quo is œsophagum excipit, id quod ex variis Hippocratis locis, ex Thucydide *Lib. 11. p. 130.* ex Nicandro *Alexiph. v. 19.* elucescit; ut adeo non cordis, sed ventriculi affectionem significet. Itaque definitur Cardialgia, esse molestus dolor quasi rodens perceptus sub cartilagine ensiformi in illo loco, quem scrobiculum cordis vocant. Ill. van Swieten *Comment. Tom. 1. §. 63. & Tom. 3. §. 1075.*

§. 2.

Diversam hujus morbi faciunt auctores divisionem; sic dolor ventriculi a quibusdam dividitur ratione diversæ sensationis 1^o. in pyrosim five ardorem ventriculi, germ. das Sod:brennen, 2^{do} in Cardialgiam stricte sic dictam, quam stipatam simul levi animi deliquio dicunt; 3^{tio} in
Gastro-

Gastrodyniam , dolorem nempe ventriculi pressorium, vel etiam qualemcumque alium absque animi deliquio , cujus absentia distinguitur a Cardialgia.

§ III.

Facile autem cuique in promptu est , has divisiones minime nos in sana medicatione instituenda dirigere posse; hinc aliam utiliore, atque magis practicam suppeditabo divisionem petitam a diversa causa Cardialgiam producente. Ipsæ vero iterum causæ adeo multiplices deprehenduntur , ut iis omnibus omnino recensendis patientiam cujusvis nimium tentare viderer , & memoriam potius gravarem , quam adjuvarem ; consuetas igitur solum , et in praxi præ reliquis frequentiores sequentibus enumerabo.

W

Octo igitur spectata præcipuarum causarum differentia species Cardialgiæ statuo, quarum 1^{ma}. est saburralis; 2^{da}. Flatulenta; 3^{tia}. spasmodica; 4^{ta}. Menstruantium & Hæmorrhoidalis; 5^{ta}. Gravidarum; 6^{ta}. ab acris assumtis; 7^{ma} Metastatica; 8^{va}. a vitio organico nata. Singulas has species jam paulo altius perpendamus.

§ V

Cardialgia saburralis varia esse poterit, prouti varia fuerit saburra. Sit itaque primo loco Cardialgia a saburra acida exorta, quæ ructibus acidis, appetitu quandoque ingenti quandoque penitus dejecto, pondere ventriculi, flatibus, torminibus, & reliquis præsentis acidi signis dignoscitur. Hanc sanant, præmissis vomitu, omnis generis absorbentia,

tia, magnesia nitri, cui aliquid Rhei, vel myrobolanorum fuit additum. Ulteriore[m] vero materiae acidæ gen[esi]m prohibent abstinentia ab acidis, & amaricantia omnis generis medicamenta. Sunt, quos mire juvant pauca quotidie grana piperis integra adsumta; sic enim ventriculi vigorem restaurant, quo restaurato non amplius sordes acidæ generantur. Qui huic malo obnoxii sunt, percurantur sæpe, si quotidie mane & vesperi potum aquæ frigidæ assument, qui innoxius, immo maxime medicamentosus est, modo non assumatur corpore æstuante, & ventriculum languidum mirum quantum excitat. Proderit porro exercitium corporis debitum, ut eo corpus roboretur, sicque gen[esi]s futuri acidi præcaveatur.


§ VI.

Altera Cardialgiæ saburræalis species est, quæ oritur ab ingluvie. Dignoscimus hanc ab erroribus diæ-
teticis, gravioribus prægressis, a prægresso prandio lauto, & egregia ingurgitatione; tum a flatibus, a ructibus rancidis tanquam ab oleo rancido assumto. Ructus hi, for-
desque hæ rancidæ exinde potissimum proveniunt, si pinguia vinosis commisceantur; ex ea enim mistione specificum genus acrimoniæ genera-
tur. Pessimus est error diæ-
teticus, si post adsumtas carnes multas pin-
gues vinum meracum bibatur, licet error quotidianus & solennis omni-
no sit; facilius enim & magis inno-
xie junguntur aquosa oleosis, quam
vinosa. Malum jam hoc cardialgi-
cum, ab ingluvie ortum, sæpe leve
est, curandum sola abstinence,
lar-

largo demum aquæ potu, materiam diluente. Verum tamen si malum hoc grave fuerit, si saburra adsit copiosior; tunc vel spontanea, vel, quod sæpe fieri oportet, arte instituta evacuatione per superiora, aut inferiora curatur.

§ VII

Tertia Chardialgiæ saburræ species est biliosa, quæ frequentissima est, & peculiaribus characteribus notatur. Cardialgia hæc oritura bile, vel a materia bilis formam referente. Ortus ejus vehemens esse solet; recurrit nonnunquam cum vomitu æruginoso, & raro tantum semel affligit, sed, etiamsi conso- piatur, per vices redit. Id etiam peculiare habet, quod illa affecti animo sint supra modum dejecto, anxio, vires sentiant admodum de-



biles , & pulsus habeant imbecilles & celeres. Est hæc Baglivii observatio , quod illi , quibus biliosæ , rancidæ sordes suapte nascuntur circa systema gastricum , sæpe pulsus debiles , & sub digitis facile evanescentes habeant ; quin imo , si febres gastricæ occurrant , ubi magna est jactatio , per lectum volutatio , anxietas magna cum adparente enervatione virium , plerumque signum est , pravam materiam magna quantitate collectam esse circa ventriculum. Præterea in hac Cardialgia circa ventriculum tantus est dolor , ut ne minimum ferme ad tactum patiatur æger , & ideo sæpe cum gastritide confunditur , ob doloris videlicet vim , ob anxietatem , jactationem ; ast lingua biliosa , tempus anni inflammationibus haud favens , & defectus signorum alias inflammationi communium , hanc facile discriminant a vera gastritide.


Con-

Confunditur etiam sæpe cum cardialgia hysterica, seu spasmodica, quacum omnia fere communia habet; etenim & hæc juxta Sydenhamum, *in processibus pag. 699*, dolore circa scrobiculum cordis atrocissimo insignitur, qui ad tactum repudiat, sæpe numero etiam vomitu æruginoso stipatur. Attamen lingua hic fidelissimus est index, quoniam in cardialgia biliosa impura est, pellicula flavescente, viridescente maximam partem obducta; ubi e contrario in spasmodica pura lingua exhibetur.

§ VIII,


Cardialgia biliosa idem omnino morbus est, ac colica biliosa, eandem omnino curationem admittit, eosdem etiam characteres habet, & cum colica biliosa sæpe conjungitur.

Cura-



Curatur vero medicamentis solventibus, iisque salinis, materiam, ventriculi parietes vellicantem, incidentibus, excitato postmodum vomitu artificiali. Cum autem in hac cardialgiæ specie sæpe numero vomitus spontaneus adsit: valebit hic ille canon: quod vomitu vomitum tollere oporteat; denique præmissis solventibus, præmissis emetico saburram evacuante, accedendum erit ad roborantia, eaque stomachica. Multi hic errores cum ab aniculis, tum a medicis anicularum morem amplectentibus committuntur, qui scuta varia stomachica, aromatica, antispastica applicant; talia enim solum in hac cardialgiæ specie conveniunt, ubi nervorum magna irritatio superest, ubi ablata licet causa irritante, nervi tamen cardiæ prospicientes dispositionem, ut ita dicam, quamdam retinent, & spasmos excitant, quos tunc
scuta

scuta hujusmodi sopient, & nervis
aliam dispositionem inducent, & a
priori, atque diuturna deluefacient.
Nocent etiam gutturæ illæ stomachicæ,
spirituosæ; nocent carminativa, &
maxime nocent opiata; etenim
opiata vomitum alias salutarem co-
hibent, & diarrhoeam fors super-
venientem atque salutarem sistunt,
augendo diaphoresim, materiam
in ventriculo collectam urgent ad
vias secundas, ipsum vero ventri-
culum languidiorem, magisque de-
bilem reddunt. Plerumque cardial-
gia hæc est absque febre, sed male
tractata in febrim assurgit, eamque
gastricam biliosam, & maxime affi-
cit, ubi biliosa materies meraca est,
minus diluta, minus enervata. Sæ-
pe morbus per se est, sed subinde,
maxime ætate, febrium biliosarum
molestum symptoma tantum, ubi
subin adeo valida est, tantasque
ægro anxietates & jactationes indu-
cit,



ut etiam animi deliqua, sincopen, insultus adeo epilepticos producat.

§. IX.


Visa nunc cardialgia saburrali, ejusque pro varia causa in varias species subdivisione, transeamus ad alteram cardialgiarum classem explicandam, quam flatulentam diximus. Oritur hæc ab ingestis multo aëre foetis, e. g. a fructibus horræis nimia copia assumtis, facile fermentantibus, a musto, ab uvis copiosius ingestis, a cerevisia in actu fermentationis suppressa, potataque. Venter tunc ab extricato aëre distentus acriter dolebit, cardia ex irritatione constringetur, & ructuum eruptio salutaris comprimetur. Nam sic curdialgiam curant enemata eccoprotica frequentius injecta, spas-

mus

mus vero cardiæ solvitur anodynis ,
carminantibus , liquore anodyno
minerali &c. soluto spasmō emesis
concitata sæpe prodest. Ceterum ju-
vat res ejusmodi facile fermentantes
aut profus non assumere , aut si
assumantur , parce , & nonnisi
ventriculo jejuno. Moris quidem est,
fructus horræos copiosos post pran-
dium lautum ingerere ; sed fructus
hi & hac mole ingesti in loco hu-
mido & calido , & ipsa diuturna
commoratione , si misceantur cum
aliis alimentis , citam & facilem fer-
mentationem subeunt ; ubi tunc præ-
ter superius laudata prodest eximie
magnesia nitri , aut sola data , aut
rheo & salibus aucta.

§. X,

Tertio loco commemoravi car-
dialgiam spasmodicam , quam etiam
Hystericam nuncupant , cum sæpius
fœ-




foeminas hystericus , & viros hypochondriacos invadat. Oritur a sola nimia irritabilitate , ita quidem , ut post levia etiam animi pathemata mox de ea conquærantur. Si igitur ex irritabilitate nimia ipsius subjecti , ex ipsius animi pathematibus prægressis , & ex absentia vitii cujusdam alterius cognoscatur , cardialgiam a solis spâsmis pendere ; tunc anti-spasticis omnis generis , & opiatis succurrendum erit. Notandum tamen est , ne statim nimiam irritabilitatem incusemus , & ut caute inquiramus in stimulum hanc excitantem , illamque causam , quæ multiplex esse poterit , tollamus.

§. XI.

Quartam cardialgiæ speciem dixi menstruantium , & hæmorrhoidalem ; cardialgia menstruantium frequenter occurrit , & sequentem ad-
mit-

mittit explicationem. Oritur nempe, si sanguis menstruus ob uteri strictiorem habitum parcius efferatur, aut non nisi magno cum molimine efferatur; si retentus accumuletur, stagnet, & jam non sola vasa uteri, sed vicinorum etiam intestinorum distendat, & vellicet. Hinc dolor ventriculi a regurgitante, ut ita dicam, sanguine menstruo instante mensium fluxu, ægram maxime exercebit. Menstrua hæc cardialgia tollitur provocando menses, sanguinem menstruum proliciendo apta via, & debita. Hunc in usum indicantur pediluvia, aquæ vapor ad inferiora admissus, semicupia, & in corpore plethorico etiam phlebotomia, sed in pede instituta; enemata eccoprotica sanguinem versus anum & uterum allicientia; dein etiam interna remedia leniter salina, eccoprotica, eodem pariter scopo, ut partes infernæ leviter irritentur, &



ad irritatas partes major fiat affluxus humorum ; nitrosa igitur , magnesia nitri vel sola data , vel juncta floribus sulphuris , aut boraci veneto , vel doses exiguæ , factis jam prioribus tempore menstruationis , remediis cujusdam aloëtici.


§. XII.

Cardialgia quoquo talis (§ XI.) observatur illis fœminis , in quibus ob ætatem ipsam provec̄tam catamenia & parcius fluunt , & tardius redeunt , ac tandem emanent. Solennis epocha emanentium menstruorum est in nostris regionibus inter 48^{vum} & 50^{imum} ætatis annum ; hac enim ætate habitus utere fit strictior , reparatur eadem copia sanguinis , sed jam non eadem per uterum strictiorem effertur ; tum oritur stasis , fit quasi regurgitatio sanguinis ejus ad ventriculi vasa , & orietur cardialgia.

algia. Hæc nata, & hac ætate observata, ut & alia incommoda ab hac causa orta, feliciter avertuntur admota pedi lanceola; nonnunquam vero satis apte & feliciter hyrudinibus ad anum applicatis curatur, ut vicaria quædam evacuatio instituat.

§. XIII.


Cardialgia hæmorrhoidalis in hunc etiam censum numeranda venit, quoniam & eadem causa hujus mali habeatur. Oritur in viris fluxu hæmorrhoidali alias consueto nunc suppresso & sanguine primo vasa intestinorum, dein & ipsius adeo ventriculi distendente, & parietes vellicante. Patet inde methodus medendi; prodest enim hic aut priorem per hæmorrhoidalia vasa evacuationem restituere ope hyrudinum, aut vicariam aliam substituere per



sanguinis missionem , præcipue in artubus inferioribus institutam. Non pauci remediis internis hic utuntur ad fluxum hæmorrhoidalem restituendum , non mitioribus sed calidis aloëticis &c. Verum tamen certum est , ab his calidis plerumque varia mala produci ; sic hæmorrhagias varias pulmonum & ani. Hinc si internis remediis provocare velimus hæmorrhoides , præstat potius id fieri lenioribus , uti magnesia nitri , magnesia muriæ , aut purgante lenissimo salino eccoprotico , aut enemate blando sollicitante , vel externe vapore aquæ mediante sella perforata admissio.

§ XIV.


Pervenimus ad aliam Cardialgiæ speciem , quæ gravidas afficere solet , pro vario autem graviditatis tempore variam agnoscit causam ,
& ex



& ex hoc capite in tres omnino diversas species subdividitur notata dignas, & valde crebras, scilicet in eam, quæ primis diebus aut septimanis post conceptionem obtinet; deinde in eam, quæ circa tertium, quartumve graviditatis mensem deprehenditur; tandem in illam, quam ultimis mensibus aut septimanis gravidæ experiuntur.

§ XV.

Initio agam de prima cardialgiæ gravidarum specie. Post conceptionem plerumque nauseas conquerruntur, vomituritiones, vomitusque, averfionem a rebus alias adamatiss, & cardialgiam plerumque patiuntur, quæ non provenit a saburra primarum viarum, aut consueta alia cardialgiæ caussa; sed totum id incommodum novæ mutationi in corpore factæ debetur,



& novis turbis per conceptionem inductis. Ut plurimum omnis in hac specie medicatio frustranea est, & tempus solum hic, quemadmodum in innumeris aliis morbis, optime medebitur. Nonnunquam tamen prodest medicamentum antihystericum, nervos sopiens, aliamque iis mutationem inducens priori contrariam. Hinc laudant hoc scopo spiritum nitri dulcem, & quaecumque alia acida mineralia dulcificata, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni, mentham & ejus præparata, chamomillam, camphoram, castoreum, vel exiguas etiam doses assæ foetidæ, nodulos antihystericos, atque alia huc pertinentia. Plerumque parum periculi, licet multum incommodi hæc cardialgia habeat.

§. XVI.

Altera gravidarum cardialgia , quæ finito tertio , quartove mense supervenit , majorem , quin omnem medentis adtentionem postulat , quia neglecta in abortum transire potest. Oritur autem plerumque a sanguine menstruo retento , cujus vero integra quantitas major est , quam ut a tenello adhuc foetu consumi possit , unde multa incommoda gignuntur , v. g. dolores in initio leves colici , postmodum accumulato adhuc magis sanguine dolores ventriculi , sive hæc cardialgiæ species. Frequentia hujus mali variat pro diversa anni tempestate , sic tempore vernali , aut sæva rigidaque hyeme magis observatur , quam æstate , vel autumno , magis quoque in foeminis laute viventibus , bene pastis , plethoricis , & venæ sectionibus assuetis , magis in foemi-

nis urbanis , quam ruricolis. Dixi provenire a retento sanguine , cujus nimia moles uterinum systema gravat , replet , vicina viscera in consensum trahit , urgetque versus superiora. Hæc cardialgia evacuatione alvina , eccoproticis nulla ratione curatur ; ex his enim abortus periculum imminet. Respuit quoque methodum in prima specie laudatam antihystericam ; exacerbatur consuetis stomachicis & amaricantibus , & neglecta aut exacerbata incertum vix non , & sæpe periculosum abortum terminatur. Nam hæc superflua copia sanguinis uterum occupans eundem irritabit , & ad exclusionem foetus determinabit , & postquam per aliquod jam tempus sanguinis quid ex utero prodiverit , quod post particulam placentæ avulsam contingit , tandem hæmorrhagia uteri , & abortus consequetur. Hoc autem malum præoccupamus
 aptam


aptam adhibendo medellam , quæ consistit solummodo in V. Sbus , iisque potissimum in brachio institutis , in emulsis nitrosis , diæta per tenui , excarni ; dum vero jam aliquid sanguinis ex utero stillat , quies summa commendanda est , & iteratæ phlebotomiæ instituendæ sunt , una cum omnibus simul & semel antiphlogisticis adhibitis ; & tunc , si modicum fuerit sanguinis stillicidium , sæpe feliciter abortus prævertitur , ac si avulsæ placentæ particula denuo adglutinetur. At vero jam longius progresso malo , sanguine majori copia exstillante , quin plenaria jam uteri hæmorrhagia præsentē , certo certius abortus sequetur.

§ XVII

Tertia demum Cardialgiæ gravidarum species observatur , ut supra (§. XIV) dictum est , potissi-

mum ultimis graviditatis temporibus. Contingit hæc, partim quod uterus distentus venter versus superiora urgeat; partim quod ipsa hæc uteri moles nimia alvum reddat tardiolem, comprimendo scilicet intestina. Ex hac retardata alvina dejectione multæ fæces coacervantur, quæ dolores primum colicos, dein etiam cardialgiam producent. Hæc ut sit longe minus periculosa, quam illa altera supra (§. 16.) memorata, nullatenus tamen spernenda est. Sordes enim hæc ultimo gravitatis tempore collectæ, nisi proxime ad partum, vel mox post eum eliminantur, febribus puerperarum sæpe adeo periculosis ansam præbebunt. Scilicet sanguis in partu necessario amittitur, omnia exagitantur, & motus febriles sub ipso puerperio accedunt; & tunc illa moles gastrica, quæ iners erat, febrim accendet mali-
 mo-

moris gastricam , biliosam , putridam , & demum etiam malignam. Ut bona huic cardialgiæ medella fiat , suadenda est ultimo graviditatis tempore diæta magis restricta , parcior , & frequentior potius , quam ut simul & semel multa ingerantur ; alvum humectare oportet , eamque crebro ducere , sed remediis blandissimis eccoproticis , & enematis. Sub ipso partu , & mox post partum ducenda alvus remediis lenissime purgantibus. Regnat quasi epidemicus quidam error ad hæc usque tempora , scilicet : abstinendum esse ab omni omnino remedio evacuante post partum , purgantia summopere nocere. Hinc aut evacuantia penitus negligebantur , aut parcissime exhibebantur. Tandem Cel. Tissot omnia opera demonstrare conatus est , convenire summopere leniora purgantia post partum , ut moles illa in
inte-



intestinis diu hærens efferatur, antequam ea communi lege, qua omnia ingesta solent, in sanguinis massam recipiatur, & febrim accendat mali moris. Notat hic Cel. vir, purgantia puerperis data ex eo forte obfuisse, quod quidam dederint remedia aloëtica, scopo partim purgante, partim etiam lochia pellente, quæ remedia calidæ indolis omnino male cedere debuerint. Verumtamen alia longe actio est remedii lenioris ecoprotici, magnesiæ nitri, tamarindorum, cassiæ, & frequentiorum enematum.

§ XVIII,

Alia Cardialgiæ species notatu digna exoritur ab acribus assumtis. Hæc subinde cum vomitu accedit, ita quidem, ut vomitus in hyperemesim degeneret, & hypercatarris ægrum simul affligat. Sic orta Cardialgia

cardialgia a venenis, vel ab acribus ingestis, observatur etiam a nimia purgantis drastici dosi, aut a drastico incongruo tempore dato, aut ingesto subjecto irritabili. Indicationes tali in casu erunt, materiam venenosam, vel acrem excutere; dein, si excuti ex integro non possit, eam saltem enervare, obvolvare; & denique, si materies ablata, aut enervata, involuta fuerit, spasmi tamen adhuc aliqui restent, eos contopire. Primæ indicationi satisfaciet cito agens emeticum, nisi jam adsit vomitus, vel hypercatharsis: e. gr. fit cardialgia a fungis venenatis: tunc, si vomitus adsit nullus, proderit excutere gravantem saburram; si vero adfuerit jam vomitus, ea solummodo danda erunt, quæ vomitum facilitant, & minus noxium reddunt, uti aqua tepida, mellita, juscula pinguis &c. Alteri indicationi satis fit per ea, quæ

quæ venenatæ acrimoniæ (si quædam nota fuerint , sunt contraria , aut si mucilaginosæ , involventia , magna copia hauriantur. Ultimæ autem indicationi opium , aut ejus præparata satisfaciunt.

§. XIX.

Septimo loco de Cardialgia metastatica agere statui , de qua pauca tantum adferam. Oritur hæc ab acri quocumque v. g. arthritico , podagrico , scabioso &c. subito retrocedente , & ventriculum occupante. Dignoscitur hæc , si subito e. g. dolor arthriticus , aut podagricus cesset , mox dolore circa scrobiculum cordis orto. Contingit ut plurimum , si malo consilio partes antea acrimonia obsessæ , stringentibus tractentur , vel si iis actu frigida adplicentur. Patet inde , methodum medendi maxime versari circa
id ,

id, ut acre demulceatur, attenuetur, & ad prius obsessas partes, si fieri possibile est, derivetur; partes vero ipsas ita esse disponendas, ut eam commode recipere queant. Hinc decocta attenuantia, demulcentia, balnea ut plurimum præstant.

§ XX.

Ultimam tandem Cardialgiæ speciem statui a vitio organico natam, quod in mala structura ipsius ventriculi situm est; sic ventriculus induratus, quasi semicartilagineus, præcipue versus pylorum, sic pylorus scirrho obsessus cardialgiam causare potest. Hoc malum præcipue cum vomitu conjunctum est, & plerumque immedicabile. Proderit tali in casu solummodo exiguas alimenterum doses assumere, & forma

potissimum liquida ; omnia enim
alia copiosius assumpta , aut forma
solida ingesta hanc cardialgiam ,
hunc vomitum augent.





T H E S E S.

I.

Medicamentum antiabortivum
specificum non datur.

II.

Cortex peruvianus , ut ut sit
in febribus intermittentibus specifi-
cus in quibusdam tamen nocivus est.

III.

Paroxysmo intermittentium cor-
reptis in stadio caloris aliquando
V. S. convenit.

IV

IV.

Emmenagoga rarius indicantur
ac putatur.

V.

Lochia antea fluentia , nunc
suppressa , plerumque morbus sunt
deuteropathicus.

VI.

Hinc patet , aristolochica sic
dicta rarissime esse exhibenda.

VII.

Febris intermittens ab effecto
systemate nervoso proxime pendere
videtur.

VIII.

Febris puerperarum plerumque
transit in castra epidemicæ.

XI.

Hydrops thoracis sæpe difficil-
lime dignoscitur.

